

Vd
3445



R. 61/4

Vd
3445

AD

AVDIENDAS. ORATIONES

QVIBVS

DIEM. AVGVSTI

NOMINI

SERENISSIMI. PRINCIPIS. AC. DOMINI

DOMINI

FRIDERICI AVGVSTI

DVCIS. SAXONIAE. S. R. I. ARCHIMARESCHALLI

ET. ELECTORIS. CLEMENTISSIMI

RELIQVA. SACRVM

SVBMISSISSIMA. VT. DECET. PIETATE

CELEBRARE. STVDET

SCHOLA. CHEMNICENSIS

D. VII. AVGVSTI. A. R. S. MDCCCLXVI

INVITAT

M. IOAN. GEORG. HAGER

RECTOR.

CHEMNICII

LITTERIS. PETRI. CHRIST. IAHNII.

AD

ADPENDINGA QATIONES

QVITIS

DIEM AVGVSTI

NOMINI

SEBENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINI

FRIDERICI AVGVSTI

AVGVSTI PRINCIPIS AC DOMINI

FRIDERICI AVGVSTI

FRIDERICI AVGVSTI

FRIDERICI AVGVSTI



SCHOLA UNIVERSITATIS HALLENSIS

SCHOLA UNIVERSITATIS HALLENSIS

UNIVERSITATIS

M. JOHANN GEORG HALLER
RECTOR

CHRETIANUS

CHRETIANUS





A. Ω.



OVIDIVS Factor. Lib. I, v. 71.

Profpera lux oritur linguis animisque fauete!



ic est, BENEVOLE LECTOR, illuxit, illu-
xit felicibus, quae summa DEI nostri ter Opti-
mi Maximique est gratia, auspiciis faustus for-
tunatusque ille dies, cui nomen in fastis AV-
GVSTI est. Albo candidoque lapillo huncce diem in primis a no-
bis norandum esse censemus, propterea quod Serenissimus noster
FRIDERICVS AVGVSTVS, Saxoniae Dux, S. R. I. Archima-
reschallus et Elector, etc. etc. Dominus noster gratiosissimus, piissimae

)*(2

clemen-

clementissimaeque matris deliciae, Serenissimae stirpis Saxonicae illustrissimum decus et patriae nostrae dilectae dulcissimus amor et certissima spes, splendidissimum ab eo gerit nomen AVGVSTI. Exoptatissimum hunc diem Serenissima mater cognatique Serenissimi ferena excipiunt fronte. Vniuersa, quae Dresdam splendore suo illustrat, Curia deuotissimo illum celebrat ritu. Fidelissimi prouinciarum ipsi subiectarum iam Dresdae congregati proceres certatim vnitisque viribus DEVM pro salute Principis sui hoc die precibus suis ardentissimis defatigare laborant. Cuncta denique Saxonia nostra saluo suo incolumeque Principe hunc diem religiosissima, vt par est, mente colit atque veneratur. Si igitur non aetas, non valetudo, non sexus quenquam in patria nostra hoc die solenni retardauit, quo minus laetitiae suae ederet documenta: Hinc etiam nostra, probe memor quantum in salute Electoris sui clementissimi sit positum, et quantum ipsi debeat, schola submississimo pietatis suae officio hoc die festo deesse noluit, voluit potius, vt publica eaque decentissima laetitiae et demississimae mentis extarent monumenta. Quidam adeoque doctrinae nostrae alumni pii, diligentes atque modesti publice prodire et orationibus praemissis purissima castissimaque vota in medium proferre decreuerunt. Eo certius schola nostra sperat, fore, vt iuueniles hi conatus eadem accipiantur clementia, qua Serenissimus gloriosissimae memoriae FRIDERICVS CHRISTIANVS, Dux Saxoniae, S. R. I. Archimareschallus et Elector, etc. quondam a) in illius connubium vota facientes clementif-

a) Nimirum An. clo Io cc xxxvii. Perorantes tunc temporis fuere:

1) Christoph. Gottlob. Weigel, Ioanngorgenstadt. 2) Ioan. Andr. Spieg-

mentissime suscepit. Eo certius sperat, quia alio tempore b) Serenissimus princeps regius ALBERTVS AVGVSTVS MAVRITIVS, Dux Saxoniae et Teschen etc. Locumtenens Hungariae celsissimus, etc. etc. pro clementia sua iuuenes quosdam in schola nostra publice dicentes benignissime audiuit, cuius rei gloriosissimae et rarissimae memoria apud nos vigebit, tam diu schola nostra stabit. Eo certius tandem schola nostra audaciae suae veniam sperat, quia in istiusmodi versatur actione, quae a DEO nostro non solum saepissime mandata, sed etiam variis promissionibus exornata et ab omnibus fere populis obseruata est. Purissima nimirum pro salute principis eo, qui nomini ipsius est sacer, die nuncupare audebit. Sunt vero vota species precum. Precibus nostris vera fide in Christum conceptis et aliis, et in his praecipue principibus, et nobis etiam ipsis ea omnia pia castaque mente a DEO exorare licebit, quae mentis et corporis suppeditare, augere et promouere possunt commoda, vt summi nostri DEI gloria, aliorum et nostra exinde oriatur grata felicitas aeternaque beatitas. Sic per IEREMIAM c. XXIX, 7. DEVS ita praecepit: Saluti studete vrbis, et ad Iehouam pro ea fundite vota, nam in eius salute vobis sita est salus. Per diuum vero PAVLLVM ita nos omnes I. Timoth. II, I. 2. exhortatur, vt fiant supplicationes, vota, interpellationes, gratiarum actiones

)*(3

pro

Spiegler, Auerswald. 3) Christ Frid. Hauckius, Chemn. 4) Siegm. Gottlieb Crusius, Chemn. 5) Christian. Gottlob. Heyne, Chemn. nunc Prof. Publ. Götting.

b) Anno scilicet cbs Io cc lxi. Oratores fuerunt: 1) Georg. Fridericus Kreyfigius, Claffenbach. 2) Traugott Henr. Ayrer, Neofanienf. 3) Carol. Gottlob. Müllerus, Tzschopau. 4) Georg. Frid. Ayrer, Neofan. et 5) Io. Christoph. Richter, Erdmannsdorf.

pro cunctis hominibus, pro regibus et omnibus potestate pollentibus, ut tranquillam quietamque vitam agamus cum omni pietate ac grauitate. Quid? quod Seruator nobis МАТТН. V, 44. dixit: amate inimicos vestros: *bene precamini* iis, qui vobis imprecantur, et orate pro laedentibus vos. Si igitur pro inimicis nostris DEVS exigit a nobis bona vota, quanto magis illa debemus amicis, benefactoribus et iis, quibus obsequium debemus? Nec irrita nostra sunt vota, ea, ut decet, ratione facta. Multum enim, ut IAC. c. V, 16. testatur, valet efficitque viri boni precatio. Quidni et vota pura mente concepta multum valerent, propterea quod precum sunt species, quas preces, iuxta ac vota nostra, ratas DEVM, esse habiturum, ut ipse promisit, ipsius filius nos reddit certiores, dicens IOAN. XVI, 23. Hoc vobis etiam etiamque confirmo: quaecunque a meo patre per meum nomen postulaueritis, daturum esse vobis. Praefens est Iehoua, ut DAVID testatur, Ps. XLIX, 18. 19. omnibus vota ad se facientibus, omnibus, qui eum cum fiducia inuocant. Voluntatem eorum facit, qui eum reuerentur, exaudiens illos conferuat. Natura deinde ipsa non abhorret ab hoc vota nuncupandi officio, praeci- piens: quod tibi vis fieri alteri feceris. Hinc non nostris propriis tantum, sed etiam aliorum inferuiamus commodis necesse est, ut nostra promoueatur salus. Sin vero facultatibus aliis inferuendi destituamur, nostri officii est, ut nostrum erga illos propensissimum animum piis votis demonstremus. Sic omnes fere populos antiquos, praecipue Graecos atque Romanos, a vero licet cultu diuino alienos, quauis occasione solenni pia nuncupasse vota, historiarum testantur monumenta. Sub auspiciis non solum noui anni alter alteri laeta dicebat verba, ut canit OVIDIUS Fast. Lib. I, 175.

At

At cur laeta tuis dicuntur verba Calendis?

Et damus alternas accipimusque preces!

Sed etiam pro aeternitate imperii et pro salute civium, immo pro salute principum, ac propter illos pro aeternitate imperii nuncupare solebant vota Romani, quia principis salute publicam contineri salutem credebant, c) id quod, vti iam monuimus, non tantum sub initio anni, sed ipso imperii die, vel cum natus esset princeps, vel pro abitu et reditu fiebat. Hinc multas istiusmodi, quas collegit BARNAB. BRISSONIVS, d) formulas in antiquorum deprehendimus scriptis: „Deos ego omnes, vt *fortunassint* precor; Dii te seruent *feliciter*; Bono animo esto; Sis *felix*, et sint candida fata tua; De nostris annis tibi Iupiter augeat annos! Comprecor, ad vitae tempora, summa tuae, succedatque suis orbis moderator habenis, quod mecum populi vota precantur idem. OVID. de Ponto, Eleg. V, 73.„ Dona et munera plerumque suis votis addiderunt antiqui. Sic Synaeta, Persa, teste AELIANO, e) quum non haberet, quod regi praetereunti ARTAXERXI offerret dono, celeriter accurrit ad fluvium, et aquam vtraque vola haustam his obtulit verbis: O rex regnes in aeternum! Nunc ego, prout possum, te munere dono, ne indonatus praetereas: Sic nos Serenissime FRIDERICE AVGVSTE hunc diem nomini TVO sacrum silentes praeterire noluimus. Muneris loco, prout possumus, TIBI deditissima offerimus corda nostra, et purissima religiosissima mente concepta vota pro incolumitate saluteque TVA nuncupamus. Viuas, precamur, diu, viuas feliciter cum Serenissima TVA matre, et cum celsissimo fortissimoque heroe

c) PLIN. in Paneg. c. 67. Lib. X, Epist. 44. TACIT. Lib. IV, c. 17.

d) In Libro de formulis Populi Romani. Lips. 1731, f.

e) In Var. Histor. Lib. I, c. 32.

70 3445 OR
heroe XAVERIO reliquisque Serenissimae gentis Saxonicae ornamentis!

OVID. Fast. Lib. I, 87.

SALVE, LAETA DIES, MELIORQUE REVERTERE SEMPER!

Sed nunc

Vosque simul iuvenes animis et voce fauentes
Concelebrâte diem votis felicibus alnum!

Qui ita prodibunt et verba bona dicent praemissis orationibus.

I.) CHRISTIAN. HENR. BERMANN, Topffleiffersdorf. animi perturbationum moderationem verae felicitatis principium esse docebit *orat. lat.*

II.) CAROL. HENR. ZIEROLD, Dorffkemmnitz. Deum sumum esse artificem demonstrabit *orat. græca.*

III.) GOTTLOB. MART. EDELMANN, Chemnicenf. de concordia firmissimo rei publicae fulcro aget *orat. teut.*

IV.) GOTTLOB. FRIDER. HARBACHIVS, Claufnitz. statum generis humani integritatis deperditum canet *carm. lat.*

V.) IO. GOTTLOB. CLAVSNITZER, St. Mich. amoenitarem aestatis decantabit simulque deuotissima nuncupabit vota *carm. teut.*

Sed nunc ad VOS, INSPECTORES Scholae nostrae GRAVISSIMI, et ad VOS, PATRONI RELIQVI, omni qua decet pietate venerandi, me conuerto.

Vota, precor, votis addite vestra meis!

Et actum nostrum exoptatissima VESTRA praesentia condecorare et benevolas aures commilitonibus nostris benigne praebere ut velitis, rogo atque obtestor. Egregiam VESTRAM benevolentiam gratissimo animo perpetuo deuenerari pollicemur. Scribebam d. II. August. A. R. S. c10 1000 LXXVI.



ULB Halle

3

007 432 887





